



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

Capvt XVIII. Varij modi variæque caussæ, ob quas terræ elementum
indolem mutat, & verò suapte natura immobile tremit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Ps. 115. 12. uidis vocem: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Ex nihilo effecit, ut essemus, ac produxit; dono rationis ornauit; inuentum artium ad vitam tuendam gratuito contulit. E terra visceribus alimenta eduxit. In ministerium dedit omnigenam pecus. Propter nos imbres, sol, montana, campestrisq; regio pulchre exulta. Propter nos amnes fluunt; promanant fontium scatebra; mare ad negotiandum naues admittit; e fodinis effodiuntur opes.*

At quid opus est, hæc persequi? Deus ipse salutis nostræ causa, inter homines conuersatus est; Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; sol ipse iustitiæ medius eorum factus est, qui sedent in tenebris. Vita ipsa venit ad mortem, mortem autem crucis: ob mortuos resurrexit; Spiritus S. charismata distribuit: multiplices coronas promisit; delicias Paradisi; regni celestis gloriã; & cetera, quæ numerari nõ queant. merito ut exclamemus. Quid retribuemus Domino, pro omnibus, quæ retribuit nobis?

CAPVT XVIII.

Varij modi, variaq; causa, ob quas terra elementum indolem mutat, & uerò, suapte natura immobile, tremit.

S. I.

Terram varijs modis, ob hominum peccata, reddi inutilem.



Agnum diuinæ beneficentiæ argumentum est terra, cuius muneribus, quia non solum æquissimum est priuari ignavos, sed multò etiam iustius plecti quosdam, qui in ea, in ignominiam Conditoris, viuunt: meritò eadem etiã subinde fit diuinæ iustitiæ & speculum, & instrumentum. In ea enim nonnunquã Numinis ira luculentè apparet. Neque vnus est per illam puniendi modus. 1. Terra

Gen. 2. 3. Exod. 10. Isa. 6. 11.

relinquetur deserta, ait Prophetes. Vbi nemo habitat, ibi nemo arat, nemo metit. Quæ incolas habet, regio, inquit Xenophon, magni pretij possessio est; eademque, si ab hominibus deserta sit, etiam commodis ipsis caret. Terra ergo deserta deserit & ipsa: ac sæpe preuenit, vt deseratur. Nam 2. Etiam si sint, qui stiuam torqueant, qui vomere lacunam faciant, qui sulcum imprimant, qui semen jactent; immò qui centum aratris terram vertant, tamen nonnunquam aqua pessima sunt, & terra sterilis. 3. Aliquando aquæ penitus nullæ sunt, si clausum fuerit calum, & non pluerit, propter pec-

Xenophon. 1. 4. de Institut. Cyri. 4. Reg. 2. 19. 3. Reg. 8. 35.

Hb 2 cata

cata mortalium. 4. Aliquando nimia sunt, ut computrescant semina; & tantæ, ut terram non rigent, sed mergant: sicut in di-
Gen. 7. 4 huio accidit. 5. Aliquando imbres frigore concresecunt, ut percutiant: sic facta verberantur, longiq; perit labor irritus anni. En
Exod. 9. 18. *pluam cras, ait, hac ipsa hora, grandinem multam nimis.* 6. Aliquando iam flaua Ceres manus & falcem postulat, cum noxia animantes spem propinquam depopulantur.
Exod. 10. 4. *Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, qua operiat superficiem terra, ne quidquam ei appareat; sed comedatur, quod residuum fuerat grandini.* 7. Aliquando ira incensus Deus terram caelestibus flammis vastat. Sic
Gen. 19. 24. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrhã sulphur & ignem a Domino de celo.* Nihil vti- que tunc viruit, in illis campis; in quibus vel ipsa poma, etiã hodie, leui pressu, in v- gum puluerem fatiscunt. Nec opus est pi- ce; sole potest mundi Gubernator solum exurere: quo iubente, aliàs & præsentia huius astri salubriter calefacit, & absen- tia vtiliter refrigerat; aliàs siue absens sit, siue præsens, omnia deuenustat; ut vel bu- stũ fiant, vel obscurum chaos, & facies no- cturna; eclipsi lumen eius obuekante.

Qua-

Quanquam enim ista sæpe suas, etiam in natura causas habent; falsum est tamen, nihil horum Deos facere, nec iram numinum calum concuti, aut terram, vt Stoicus præsumere animo iussit.

Senec. lib. 6. nat. q. 9. c. 3.

Terra luce, & fecunditate orbata.

Apud veteres tragædos, Atreo Mycenarum rege, Thyesti fratri suo filium epulandum præbente, fingitur sol, facinoris immanitatem abominatus, radios suos resorbuisse; immò, ne pollueretur, aufugisse. Ita tenebris terras operuisse erubescens naturam, canunt Poëtæ, qui sibi videbantur irati Dei offensionem grauius exprimere non posse. Nimirum, vt pictor excellens tabulæ à se pictæ continam obduxit, ne à futuro, vltra crepidam sapiente, aut alio Momo opus carpente aspiceretur: ita Deus quoque texit olim in Ægypto, nona plaga, terras; &, Filio suo moriente, trium horarum interuallo, cæli lumen extinxit, vt ostenderet, vel naturam pati, vel naturæ authorem; eaq; propter indignos esse mortales, qui lucem, qui orbem, qui orbis Conditorem intuerentur, quem crucifixerunt.

Senec. in Thyeste.

Eodem momento dies, ait Tertullianus, *me-*

Tertull.

Hh 3 diuum

Apol. ad
uerf. Gét.
cap. 21.
Gen. 2. p. p.

Gen. 2. p. p.

Plin. l. 12.
Nat. hist.
c. 25. Ge-
nebrard.
l. 2. chron.
in Tito.
ex Paulo

dium orbem signante sole, subducta est. Deliquim utique putauerunt, qui id quoque super Christo predicatum, non sciuerunt. Et tamen eum mundi casum relatam in archiuis vestris habetis. Scilicet, quia nihil deformius est peccato, debebat ea deformitas significari, per terram quoque deformatam. Ut enim lux rebus omnibus videtur colorem gratiamque affundere; ita nox, cum die, aufert omnem terris venustatem: & velut domum, ob funus Principis in luctum coniectam, pullata atraque facit vniuersam, quae comprehendit. Ita enim in magnatum aulis, quando ibi Domini cadaver depositum baiulos & sepulchrum expectat, parietes, scamna, mensae, famuli, ipsi etiam currus & equi, tristi nigredine vestiuntur. Quanquam non lux & color tantum, sed & fertilitas, & pulchritudo ipsa terrae adimitur, si diuinus Iudex, terrenas, & caelestium inanes animas hoc elemento vult plectere. Siquidem circa Sodomam olim omnia mortua, & postea etiam ipsius terrae sanctae amoenitas, & foecunditas, vna cum templo & natione, euanuit; vt tradunt probati auctores: adeo vt balsamum soli Iudaeae à Plinio attributum, nec nisi in Ierichua-

richuntinis viridarijs nasci solitum, in Ægyptum sit translatum, vbi non alia irrigatum aqua crescit, quàm illius fontis, qui B. Virgini Mariæ, Filioque illius scaturijt exulanti.

Iouiol. 17.
hist.

§. III.

Terra ardoribus exusta, Deo puniente.

Ne quis autem existimet, caligine tantum, aut luminis subductione, vel siccitate, ac sterilitate terras deformari, deformantur & igne, & motu, quando diuinâ irâ percussæ contremiscunt. Tametsi enim nihil aliud est in terra tremor, quàm in nube tonitruum; nec hiatus aliud, quàm cum fulmen erumpit, incluso spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente: vtitur tamen natura Deus, & in perniciem impiorum frænos laxat elementis. Hinc illa: *Quia dies ultionis Domini, annus retributionis iudicij Sion, conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur: & erit terra eius in picem ardentem.*

Plin. li. 2.
nat. hist.
cap. 79.

Isa. 34. 8.

Quo pacto Vesuuius mons, teste Eusebio, Anno Christi 83. rupto vertice, tantam flammaram copiam euomuit, vt finitimæ regiones vrbésque, vnà cum hominibus, incensæ fuerint ac desertæ. Circa annum 1135. tantus in Gallia calor, tantaque

Euseb.

An. 83.

Vign.

An. 82.

Palm.

An. 1135.

Robert.
An. 1137.
Plal. 17.
9.

siccitas extitit, vt terra ardere, & flammæ, cum ingenti populi terrore, emittere inciperet. Quod varijs in locis euenit, igne ex-
 uftis à Deo, quando *ascendit fumus in ira eius, & ignis a facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.* Sic ignem igne compenfat. Ardent homines auaritia, ira, odio, libidine: incendunt pauperum casas, innocentium domos, pagos, ciuitates, contra promissa, & fidem datam: hæc incendia, cur incendijs non puniantur? cum etiam, Politicis legibus, ad rogam damnentur, qui domum alterius malitiosè inflamauerunt.

§. IV.

Terra motus & hiatus à Deo irato.

Nec minus terrificum est, quod præcedit. *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt; quoniam iratus est eis.* Vt enim omittâ naturales terræ motuum causas, præcipua, cur terræ quatiantur, causa est Deus, *quoniam iratus est eis.* Non possunt quiescere, qui vehementer irascuntur. Vnde & *Ahsuerus rex iratus surrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus consitum.* Ex quo motu & Aman intellexit, à rege sibi præparatum malum. Concionatores quoque, cum volunt

Esther. 7.
7.

volunt esse vehementissimi, oculos, vultu,
manus, brachia huc vertunt & illuc, & to-
tius corporis motu, motura volunt excita-
re animorum. Ita, Deo irato, mundus con-
cutitur, & ipsa terræ fundamenta contre-
miscunt. Nec contremiscunt tantum, sed
etiam velut os in rictum diducunt, vt de-
uorent peccatores, quorum nefaria faci-
nora Numen solent ad iram, & extraordi-
narias poenas inferendas, prouocare. Atq;
hæc est altera causa, prius memoratam
antecedens. Sequitur enim culpam poena.
Ob illam fulmen stringit, ob illam terras
concutit. Quod legimus, factum, quando
Core, Dathan & Abiron, Moyse principa-
tum, Aaroni sacerdotium auferre conati
sacrilegam seditionem concitauerunt. Tunc
enim *dirupta est terra, sub pedibus eorum: &*
aperiens os suum deuorauit illos, cum taberna-
culis suis, & vniversa substantia eorum, descen-
deruntq; viui in Infernum, operti humo, & pe-
rierunt de medio multitudinis. Quorum cul-
pam, cum multi imitentur, mirum est, quod
non formident & poenam. Inuolant enim
in Ecclesiasticam potestatem, libertatem,
immunitatem, per fas & nefas, ac, vt suis
bonis parcant, hæreditatem Christi dissi-

Hh 5 pant,

Pausan.
in Boeo-
sicis.

Plutarch.
de Græ-
cor. &
Roman.
cōparat.

Æneas
Sylu. in
hist. Bo-
hem.

pant, deuorantque, quid mirum, si & illos terra deuoret? Omittam Trophonium, qui mox, ubi fratri, ne in casses Hyriæi lapsus, tanquã ærarij illius compilator, agnosceretur, caput præcidit, eo ipso in loco, tanquam compilator, & fratricida, terræ haustus est hiatu. *Notus humi mersis Amphiaræ equis.* Notus Valerius Gonatus, qui cum secundum quietem capere se sacerdotis ornamentum vidisset, & in conflictu multos trucidasset, ad patefaciendas somnij honorésque somniantium vanitates, & sacra illotis manibus, affectantium insanias, repente terrâ absorptus est. Hos secuta est impia illa Furia Vradislai Ducis Bohemorum, quam alij Drahomiram, alij Drabonuciam vocant. Quæ ægrè ferens, maritum ex testamento matri Ludmillæ feminae integerrimæ regni administrationem, quoad filij adolerent, reliquisse: immisissis satellitibus, socrum strangulauit, Boleslaum filium idololatram, in necem fratris Wenceslai sanctissimi iuuenis, inter epulas, armauit, aliâque multa nefanda fecit. Igitur ipsa, indigna quam terra sustineret, non multò post, apud arcem Pragensem, hiatu terre absorpta interiit, curru ad Proserpi-

serpinam vecta, ne tardiùs eò perueniret. Aiunt nonnulli, aurigam eius mirabiliter euasisse. Nam cum eo loco transfret, vbi Missæ sacrificium mysta peragebat, audiens tintinnabuli sonitu signũ dari, ad Christum in hostia sublimata adorandum, confueta pietate, ex equo desiliit, atq; in sacellum intrauit. Ibi operæ præcium tulit. Nã eo vix ingresso in ædem sacrã, Furia illa, moras trahenti aurigæ irata, in abyssum cecidit. Quo tempore, vtique diuinus iudex voluit terrã, velut cribro, triticũ à palea subcernere. Alias vno casu inuoluit, qui scelere vno impliciti, sicut delictis iuncti fuerunt, ita meruere etiam supplicio copulari. *Carura, in Phrygia Cariaq; confinio vicus diuersoria habuit, & feruentes aquas in Meandrum exeuntes. Ibi fama est, Leonem, cum magno scortorum grege, in diuersorio hospitatum, facto, per noctem, terra motu, cum omnibus perisse. Nimirum Ambubaia thermis indigebant, quibus vitæ sordes abluerent; si tamen ablui potuerunt, quæ nimis infederant. Nec Leo, tot flagitijs obrutus, obrui mitiùs debebat. Iacet, apud quas voluit, non quo voluit, sed quo meruit pacto.*

§. V.
*Terra motu puniti, etiam illi, qui sua terra
 contenti non fuerunt.*

Pontan.
 de Forti-
 tud. he-
 roic li. 1.
 cap. 8.

Diodor.
 li. 11.

Sabell.
 lib. 3.
 En. 6.

Hæc vel singulos, vel paucos duntaxat pleraque tetigerunt. Pontanus refert, in Hirpinis, grauiſſimo terræ motu, tota oppida non quaſſata tantum, ſed etiam funditus euerſa. Ea ſtrage, in Samnio, Lucania, atq; illa Campania parte, quæ cis Lirim eſt, ad quatuor & viginti hominum millia ceciderunt. Diodorus memorat, circa Olymp. 78. Spartæ, complures domus magnis terræ motibus concuſſas, funditus corruiffe; ſupraque viginti millia Spartanorum ruinis obruta interiſſe; ac deinceps aſſidue, per longum tempus, vrbe ita terræ motu concuſſâ, ruentibus ædificijs, multa mortalium corpora cadentium murorum mole obruta expiraſſe: rerû etiã opumq; & ſupellectilis cuiuſq; generis haud exiguâ quantitatem ſoli tremore abſumpta. Ex Trogo narratur, cùm Tigranes Armeniae rex Syriam occupafſet, eam crebris terræ motibus fædè vaſtatam eſſe. Qua clade centû ſeptuaginta Syrorum millia multa, que vrbes vnâ interierunt. Quod prodigiū mutationem rerum, quæ poſtea ſecuta eſt, portendit.

portendere, aruspices responderunt. Sed videtur potius terra novos incolas auersata, ad eorum aduentum cohorruisse. Qui enim terra non sunt contenti sua, digni fiunt, vt pereant in aliena; quæ sæpe, vt Alexandri equus fessorem, indignum possessorem excutit.

§. VI.

Terra alio migrantes, vel trementes, etiam profunt.

Quamuis nonnunquam, terra quoque ipsa ad alios migrat digniores. Quo pacto, in Italia, cum terra, per quadraginta continuos dies quateretur, villa quædam mota, Anno 1117. ad alium procul diffitum locum transuolauit. Et sæpius ita tellus tremuit vibrauitque. Talis enim motus abtulit insulas mari, junxitq; terris: Antissam Lesbo, Zephyrium Halicarnasso, Ethusam Mindo, Dromiscon & Pernen Mileto, Narthecusam, Parthenio promontorio. Aliæ multæ insulæ à Plinio recensentur, loco motæ, vel absorptæ, vel interruptæ haustæque. Quin etiam nascuntur, hoc modo, terra ac repente in aliquo mari emergunt, velut patria secum faciente natura, quæq; hauserit hiatus, alio loco, reddente. Vsq; adeò etiam prodesse

Ranulph: lib. 7. c. 15.

Plin. 1. 2. nat. hist. cap. 89.

Ibid. c. 86.

desse potest terræ tremor, vt terras reddat.
Sed nulla maior utilitas, quàm quòd ho-

Matth.
27. 51.

mines doceat timere Deum terras concu-
tientem. Cùm Christus, in cruce infami
interfectus esset, obstupuit natura, & terra
mota est, & petra scissa sunt, & monumenta
aperta sunt. Non caruit fructu suo motus
ille. Siquidem Centurio, & qui cum eo erant
custodientes Iesum, viso terra mota, & his qua
fiabant, timuerunt valde dicentes: Vere Filius

desunt 7
7. 3. 5. dil

Dei erat iste. E terræ motu docibiles Dei, Deum
agnoscunt, omnipotentiam illius intelli-
gunt, iram metuunt, de peccato, velut de
sepulchro resurgunt. Idcirco enim terram
concutit Deus, vt petrae & saxea impiorum
corda scindantur. Quæ si obstinatè pergunt

3. 1. mil 9
bid. 300
28 953

ire in scelera, & Seruatoris contemnere
passionem, calcare sanguinem, Dei se mi-
sericordia indignos faciunt, eiusque san-
guinem cogunt in calum clamare. Quod

Moscus
Euirat. in
Prat. spir.
cap. 50.

apud Moscum, Georgius Abbas, in Pala-
estina vidit, testatusque est, cùm extra or-
dinem auditus esset euolare; eò quòd vidisset
iratum in sublimi throno Christum, die
quodam Iouis sancto, neque à sanctis, ne-
que ab ipsa Matre sua flecti potuisse; ac postea
ipso die sancto Veneris, ingenti terra
motu

383. bid

motu, hora nona, tot vrbes ac populi ceci-
derunt. Ita passio Christi in salutem data,
impijs fit in injuriarum recordationē; De-
umque, quem hominibus bonæ voluntatis
placat, duris ceruicibus ad iram inflamat;
in terrorem sceleratorum. Nam quid alijs
fieri possit, exemplum in alijs fecit; quando
varia hominum flagitia, horrendis terræ
cladibus, vindicauit. Quod enim cælestis
Pater fecit terram concutiens, Christo in
cruce interfec̄to; id etiam postea sæpius re-
petiuit, cum eundem hæretici è diuinitatis
folio deripere conarentur. Tantus & ele-
mento horror, & ipsi Deo inest odium
blasphemiarum.

§. VII.

*Hæresis Ariana causa terra tremētis; cuius
firmanda modus, in exemplo docetur.*

Anno 343. sub Constantino Imp. Ariano, Car. Sig-
Neocæsarea vi terrę motus, mari absorpta; on. lib 5.
& An. sequenti Rhodus insula penè tota Imp. Oe-
subuersa est: posteroque Dyrrachium to- cid.
tum procubuit. Quin etiam Roma, per-
triduum, magno cum periculo, tremuit: &
duodecim Campaniæ vrbes funditus, eodē
impetu, corruerunt. Atque An. 364. cum Eutrop.
moreretur Constantinus Imp. Mopsucre- lib. 11.
nis,

nis, magno terræ motu, bona pars Constantinopolis diruta est. Apud authores non dubitatur, quin Deus, tot terræ moribus, qui acciderunt, sub hoc Imperatore, testatus sit, sibi Arianas blasphemias aduersus Filium Dei omninò displicere. Esse verò in pœnam talia, monstratum fuit, An. secundo Mauritiij, iuxta Chronicon Sigeberti, quando Antiochia pessumdata est. Vidit enim quidam ex ciuibus vir pius & liberalis, largusque in erogandis elemosynis, venerandum senem albo indutum vestimento, cum duobus socijs, in vmbilico vrbs stantem, sudariumque, quod in manibus tenebat, excutientem super mediam ciuitatis partem, quæ subito cum ædificijs & mœnibus euersa est. Vix autem retineri poterat à duobus socijs, latus stipantibus, quò minus sudarium super reliquam quæque vrbs partem, quæ incolumis stabat, effunderet. Placatus ergo, postquam hunc ipsum virum ac pium ciuem, blandis verbis fuit consolatus, videri repente desistit. Qua in re patefactum est, vnde iudicij tam metuendi veniret executio; & quid, apud Deum, possint pij deprecatores, quibus, olim Abrahamæ, in perdenda Pentapoli, concessit filio

Cap. XVIII.
de dil. no.
imp. Oc.
abid.

Europ.
de dil.

filiorum suorum & furoris diuini arcana reuelat. Non fecit taliter omni nationi; & iudicia sua non manifestauit eis.

Pfal. 147: 8.

§. VIII.

Naturalis predictio terra motuum.

Pherecydem narrant, in Scyro insula, sitientem aliquando, aquam à discipulorū quopiam petijse: quam cum bibisset, pronunciaſſe, terræmotum, post triduum ea in insula futurum. Quod dictum, vt exitus probauit, magnam ille gloriam reporta- uit. Item, præclara quedam esse & immorta- lis in eo (si credimus) diuinitas perhibetur Anaximandro Mileſio Phisico: quem ferunt Lacedæmonijs prædixiſſe, vt urbem ac tecta custodirent: instare enim motum terræ: cum & vrbs tota eorum corruit, & Taygeti mon- tis magna pars, ad formam puppis eminens, abrupta cladem insuper eā ruina preſit. Que si vera sunt, ait Plinius: quantum à Deo tan- dem videri poſſunt tales distare, dum viuant? Qui tamen, paulò infrà, ipse docet, & quo modo è puteis, & qua ratione, ex alijs signis, venturi terræ motus cognosci poſſint. Ait enim: Navigantes quoq; sentiunt, non dubia coniectura, sine ſtatu, intumefcente fluctu ſu- bito, aut quatiente icli. Intremunt verò & in

Apollon. in hist. mirabili.

Plin. li. 2: nat. hist. cap. 79.

Idem ib. cap. 81.

Ii nauis

nanibus posita, aequè quàm in adificijs, crepitus
 prænunciant. Quin & volucres non impanide
 sedent. Est & in celo signum, præceditq; motus
 futuro, aut interdiu, aut paulò post occasum
 sereno, centennis linea nubis in longum porre-
 ta spatium. Est & in puteis turbidior aqua,
 nec sine odoris tædio. Talis ergo & Phere-
 cydis Pythagoræ doctoris cõjectatio fuit,
 aut esse potuit.

§ IX.

Diuinitus accepta notitia terræ motuum.

Aliã viã, Sancti vel præsentem alijs, ipsi
 absentes, vel futurum terræ motũ cogno-
 uere. Nam, vt tres Angeli Sodomitarum
 excidium Abrahæ detexerunt; ita supra
 memorati tres viri ciui Antiocheno & su-
 dario, tanquam missione mappæ, se signũ
 erupturæ labi dare, & precibus diuinæ vni-
 dictæ manum iniici posse ostenderunt. Zo-
 simas quoque Sindenus, Phœniciz mona-
 chus, miraculis clarus, quamuis præcul ab-
 esset Antiochia, tamen terræ motum An-
 tiochiæ, qui septimo anno Iustini senioris
 accidit, sciuit, ac in ipso momento, non per
 turbidam putei aquam, sed Deo reuelante
 sensit, subitò enim consternatus, gemitibus
 fundens, tantumque lachrymarum fundens, vt
 ipsam

ipsam terram rigaret, totoq; illo tempore, quo Antiochia terræ motibus concutiebatur, in terram prostratus Deum placavit. Arcesilao autem quærenti: *Quæ huius subitanea tristitia esset causa?* respondit: *Ruentis Antiochiæ fragorem aures suas repleuisse.* Arcesilaus, & qui simul aderant, hæc audientes obstupefacti, horam annotarunt: ac postea diligenti inquisitione, rem sic se habereprehenderunt. Amor amato etiam secretissima pandit. Quare vel ipse Deus ait: *Num celare poterò Abraham, quæ gesturus sum?* Hac de causa etiam compluribus alijs eiusmodi atroces clades terris instantes, non per cometem tantum, sed alijs quoque portentis ostendit. Narrat Paulus Diaconus, sub Anastasio Imp. quendam militem, non procul ab vrbe Neocæsarea, iter facientem, paulò antè, quàm ea terræ motu concuteretur, in aère suprâ eam duos conspexisse milites, & alterum à tergo clamantem: *Conseruate ades, in quibus, sepulchrum extat Gregorij* (Thaumaturgi) factò autem terræ motu, maximam partem ciuitatis collapsam, & euersam fuisse, illæsa manente Gregorij domo. Et Sigonius quoque refert, Neocæsarea An. 343. vi terræ

Gen. 22. 17.

Paulus Diaconi lib. 15.

Car. Sigon. li. 5.



**Imp.
occid.**

motus mari absumpta, Ecclesiã & Episcopum tantum incolumes extitisse. Nimirũ nouit Dominus, qui sint eius; & potest à tritico zizania separare. Quod quia nec peccatores ignorant, semper metuunt, ne terra sub pedibus eorum discedat, & ad omnes passus trepidant, cùm interea sana conscientia homo semper animo sit constanti & erecto, nec se deijci sinat, etiam si fractus illabatur orbis.

§. X.

*Christianorum templis parcens, Infidelium
euertens terra motus.*

Quoniam autem vehementer animat, mortalésque inflammat ad Deum colendum diuinæ protectionis experientia, non omittã apponere, quod de alio terræ motu recensetur, qui An 1509. die 14. Septemb. incipiens, decem & octo continuis diebus, murum Constantinopolitanæ vrbs, quæ parte mare spectat, cum omnibus adjacentibus domibus disiecit, & fossas rudibus impleuit, ac terræ æquauit. Arcem, in qua gazophylacium Imperatoris quinque turribus munitissimis custoditur, & insignis domus, in qua leones, tanquam in viuario nutriuntur, destruxit. Cuniculos, qui per montes

montes, ac longa itinera è Danubio aquas
in urbem inuehunt, maximis & laboribus,
& impensis fabricatos, concussit. Sinus autè
maris inter Constantinopolim & Peram
violètia terræ motus adeò infremuit, vt in
vtramq; ciuitatem mare vltra muros aquã
inijceret. Domus tributaria, juxta mu-
ros Constantinopolis, in mare tota decidit,
vt nullum illic appareret vestigium. Ma-
xima item pars turris plumbeæ, in Pera,
corruit. In Callipoli munitissima arx peni-
tus rupta est; neq; vlla domus illic integra
mansit, totàmque Græciam, ad Danubium
vsque hic terræ motus longè latèque per-
uagatus est. Feruntur Constantinopoli tre-
decim millia hominum interiisse. In tanta
ira suæ misericordiæ recordatus Deus ostē-
dit, quid, & quos peteret illa clades. Nam,
vt, in mari rubro olim, Israëlitis innoxie
transeuntibus, Ægyptij perierunt; ita &
hïc inter sacra & profana magnum discrimen est demonstratum. Mirissimum enim
fuit, quòd cùm corruerit sepulchrum Ma-
chometi patris Baiazeti, maximis extractū
impensis, multæque Turcorum sacra (quid
sacras voco?) profanè edes, quas suâ linguâ
Moschetas vocant, collaberentur; Chri-
stiano-

stianorum tamen templa illæsa manserint; ingensq; illa Sophiæ ædes nihil mali senserit præter turrim à Turcis, post captâ urbem, templo, in fine, ornatus gratia annexam, quæ tota præcipitata perijt. Sed & illa terræ motu calx & cæmentum, quo beatorum imagines, post captiuitatem vr̄bis, cooperatæ fuerant, ita separatim ab imaginibus ceciderunt, quasi arte noua iam primum suo splendori essent redditæ. Hæc mira sunt, & tantò miriora, quia neque à Cuspiniano tacentur. Ostendunt autem, timendum quidem Omnipotentem mundi Rectorem, sed non sine fiducia, ab ijs, qui ad eum, velut sacram anchoram recurrunt.

- Prou. 14. 26. In timore enim Domini fiducia fortitudinis,*
ait Salomon. Vos ergo, qui non timetis, Dominum offendere, timete Dominum, punientem, & terras sursum atque deorsum vertentem. Efficax est, in metu, peccati frænum. Sed vos, quibus culpa formidabilior est, quàm poena, & qui timetis, morum filiorum, *Dominum, sperate in eum; quia oculi Domini ad timentes eum; & misericordia eius, à progenie in progenies timentibus eum.*
- Luc. 1. 50. Cadent muri, & vos stabitis. Corruent tecta, & vos non tangent. Inter Scyllam &*

Charybdim, inter ipsas mundi ruinas, incolumes euadetis.

§. XI.

Christi nomen foribus praefixum, in terra motu profuit.

Hoc multi terræ motus demonstraerunt; sed luculentissimo prodigio ille, qui, An. Christiano 528. à priore Antiocheno terræ motu tertius fuit numeratus. Et enim, vt Euagrius, ac Nicephorus, ac post eos Baronius, testantur, eadem rursus ciuitas grauioribus motibus agitari, direque admodum concuti cœpit. Cùm autem ea res sit, inter maximè formidanda, ijs tamè magis videtur metuenda, qui timorem nō ex auditu, sed experientia hauserunt. Tremente igitur denuo terra, Antiocheni præteritorum malorum recenti memoria penitus consternati, cùm in humanis nullum superesset subsidium, ad diuina patrocinia confugerunt: rati eiusdem esse, *percutere & sanare*. Est sæpe necessitas magistra pietatis. Ea itaque quid hominibus ipsâ terrâ magis trepidantibus suaserit, Nicephorus his, in compendio, verbis refert: *Vnusquisq; eiuium Christi nomen præ foribus inscribens, eo modo terra motum dispulit; cùm Deus re-*

Euagr. li. 4. ca. 6.
Niceph. li. 17. c. 3.
Baron. tom. 7. An. 528. num. 22.

Li 4 ligiosa

ligioso cuidam homini oraculo hæc verba foris
inscribere præcepisset: CHRISTVS NOBISCVM,

STATE. Ita, cuius sanguine ac meritis totius
mundi salus stetit, steterunt & mania, &
ædificia pulcherrimæ ciuitatis; ac ipse ho-

Tertull.
in Apot
log. c. 21.

minum Redemptor, qui, die tertia, vt Ter-
tullianus ait, *concuissa repente terra, & mole
reuelata, quæ obstraxerat sepulchrum, & cu-*
stodia pauore disiecta, resurgens de morte

Matth.
18 28.

triumphauit, clarè ostendit, *datam sibi om-*
nem potestatem in celo & in terra. Quæ po-
testas magnam nobis fiduciam parit. Cum

Ibid.

v. 20.

enim dixerit: *Ego vobiscum sum, omnibus die-*
bus, usq; ad consummationem sæculi, meritò
& foribus, & cordibus nostris inscribimus:

CHRISTVS NOBISCVM, STATE. Naues, in
fluctibus, anchorâ fulciuntur, ac, ne à por-
tu abripiantur, ad rupem religatæ seruan-

tur. Sic, quassata terra, spes nostra Chri-
stus, & portus noster esse debet. Quæ pul-
chrior esse causa grauiorque potest; quam

vt terræ motibus moueamur ad Christum
quærendum, quem pericula à capitibus
nostris depulsa clamant, esse totius naturæ

Dominum & Governatorem? Quo pro-
tegente, multi sancti homines, cum mente
essent in celo, nō senserunt, quid fieret in

terra.

terra. Adeò nonnunquam terra contremiscens, non ex ira magis Numinis contremiscit, quàm in testimonium sanctitatis. Maria Victoria Cęlestinarum virginum fundatrix, adeò, inter diuinas preces absorpta erat, vt legatur, in choro, cum ceteris Deo dicatis Virginibus officio diuino præsens nihil omninò sensisse aut animaduertisse, cum haud exiguo terræ motu, reliquæ sociæ omnes, & ipsi adeò etiam muri chorûsq; totus concuterentur. Quod ubi sociæ, finita re diuina, inuicem ingenti trepidatione narrarant, Victoria mirata est, quæsiuitque, quando, & quàm diu id accidisset? Adeò nimirum mens & conuersatio illius in cęlo fixa fuit, vt nesciret, quid in terra ageretur. Quàm longè leuiore brachio alij diuina tractant, quos vel mus, vel musca potest ab oratione dimouere?

§. XII.

Sanctis patientibus, terra motum patitur.

Addam adhuc recentius, quod ex vita P. Marcelli Francisci Mastrilli Hispanice & Gallicè edita compendio refert Philippus Alegambe. Is Mastrillus, non sine prodigio, à lethali vulnere, per S. Franciscum Xauerium sanatus, ad Indiam atque mar-

Ferdinād.
Meltior.
lib. 2. de
vita eius.
cap. 10.

Philipp.
Alegambe
in India
Martyr. Soc.

Ii § tyrium

Iesu. nū. tyrium inuitatus, ardentissimis votis eo
 cclviii. contendit. *Incredibiles illi difficultates in itinere* Demon conciuuit; admirandis eum prodigijs seruauit honestauitq; Deus. Clam tandem delatus in Iaponiam, fumi ab igne, quem excitarat, sublato indicio comprehensus, terra contremiscente, Nangasachi dirissime prius cruciatus, gladio demum percussus est. Primum diductis cruribus per cõtortum funem suspensus, capite in aquam demerso, retexente se fune violenter rotatus est. Dein scalis supina facie adalligatus, infusa in faciem magna vi aqua penè suffocatus est. Tum candente ferro virilia ustulatus est; sed inuerecundam barbariem detestatus, aqua cruciamento rursus admotus est. Demum, prælata mortis causa, quia fidem per terram venisset prædicatum, iumento eductus, catenatus, os densato constrictus lupato, capitis partem dexteram rasus, lauam minio probrose infectus, capite in scrobem genuum tenus depresso, pedibus suspensus in quartum usque diem, post illa depositus, tertio acinace obruncatus est, die 17. Octobr. ac rursus terra valide intremuit; martyris scilicet testata sanctitatem, & barbarorum immanitatem detestata. Ita Deo, ad defensionem & offensionem seruit hoc elemētum. Quod etiam
 Sur. 5. |
 Febr. |

quando D. Agatha olim fuit tormentis agitata, ita contremuit cohorruitque, ut tota ciuitas Catanensium concuteretur, ac duo muri conciderent, qui Quintiani Prætoris amicissimos duos Siluinum & Falconium ruina oppresserunt; & populum omnem in crudelissimi iudicis vindictam excitauerunt. Ita terra Diuam tutata heroicis eius virtutibus applausit; quibus etiam, post mortem obitam, ignis (elementorum potentissimum) est obsecutus. Nam velum, seu cortina de sepulchro eius accepta, flammam ubique repulit, cum incendijs obtenderetur.

§. XII.

Christi aduentum terra motu, alijsq; prodigijs confirmatum.

Contra Iudæos, docet Tertullianus, in primis querendum, an expectetur noua legislator, & noui testamenti heres, & nouorum sacrificiorum sacerdos, & noua circumcisionis purgator, & æterni sabbati cultor: qui legem veterem compescat, & nouum testamentum statuatur, noua sacrificia offerat, & cerimonias antiquas reprimat, & circumcisionem veterem, cum suo sibi sabbato, compescat, & nouum regnum, quod non corrumpatur, adnunciet.

Tertull.
lib. 6. ad
uers. Iu-
dæos. c. 6.

598. *Cáp. XVIII. Terra mala, & præcipue
ciet. Nam etiam noua legis lator, sabbati, spi-
ritalis cultor, sacrificiorum æternorum ami-
stes, regni æterni æternus dominator, quaren-
dum an iam uenerit, necne; vel uenturus
adhuc speretur? E Prophetis omnibus con-
stat, uenturum fuisse; nobis certum est, ue-
nisse, quia tempora, & modus, & lex noua,
& Christi regnum ubique porrectum, &
omnia congruunt, quæ propheta cecine-
runt. Iudæi uenisse negant, & tanquam hi-
antes corui adhuc Messiam suum expe-
ctant. Ut ergo & illos doceret, legem Mo-
saicam, ueteresq; ritus, & sacrificia, ac ce-
remonias esse antiquatas, Christo Serua-
tori auctoritatem cælestis Pater, mirabili
terræ motu, alijsque prodigijs seuerè con-
firmavit. Ita enim Iudæi calcitrantes erant
capistrandi: qui si frænum morderent, si
contra stimulum tenderent; saltem exem-
plum ad nos instruendos erat transiturum.*

§. XIV.

*Iudæos à templo restaurando terra motu,
alijsq; magnis prodigijs impeditos esse.*

Narrant id complures, ego e Nicephori
historia recēsebo. Iulianus Imperator, qui,
ob desertum Dei unius, & ueræ Ecclesie
cultum, Apostatæ nomen obtinuit, quan-
tus

Niceph.
Callist.
l. 10. hist.

tus quantus, ex imis vnguibus ad verticem summum ex impietate concretus, Iudaicæ superstitionis in tantum promotor, in quantum persecutor Christianorum, Hebræis potestatem fecerat, vt, ex prædicatione Christi dirutū, Hierosolymis, templum à fundamentis denuò extruerent, quo stante, Iudaismus stare videbatur. Iudæi, potestate obtenta, velut perrupto agere torrens, effusi, summo studio, in templi structuram incubuerunt, vt pristinum ritum renouarent, atque cum templo sacrificia Mosaicæ legis restaurarent. Hoc in opere duo acciderunt, quæ ad Christi gloriam illustrandam maximè pertinent. Nam & eius vaticinium ipsi Iudæi impleuerunt, & prodigio ingenti demonstratū est, non esse consilium contra Dominum, quod habeat successum. Siquidem discipulis Christo ostendentibus *edificationes templi, ipse respondens dixit illis. Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruat. Cœpit ea Prophetia fieri, Tito & Vespasiano Hierosolymam affligente; impleta est, Iudæis hoc opus aggressis. Stabant adhuc rudera quædam, & saxa templi etiamnum in funda-*

Eccles.
cap. 32. &
33.

Matth.
24. 1.

fundamentis jacebant, intacta, quia infossa. Hoc solum deerat, ut ne sub terra quidem lapis super lapidem relinqueretur. Iudæi ergo, ut solum penitus repurgarent, omnes veteris structuræ reliquias, ex imis fundamentis, effoderunt. Ita profus, ipsorummet operâ, dirutum est, quod in integrum reponere voluerunt, conatu improbis consueto, qui semper, Sisyphi more, in irritum cadit, juxta illud: *Nisi Dominus edificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui edificant eam.* Atque hoc primum est, quo Christi prædictio & gloria fuit illustrata. Accessit & alterum maius. Eruderata erant iam omnia, fossisq; grandibus factis, architectationis initium in procinctu videbatur esse. Statuto igitur die, magnis gaudijs, magnâ frequentia, magna solennitate, conuenerant, ad designati templi locum Iudæi; nimirum, ut primum fundamentum, cum pompa & tripudio jaceretur. O spes humanæ! quàm sæpe fallitis? ô consilia hominum, quoties vobis promittitis, quæ nunquam estis consecutura? ô Principes, quoties palatia magnificè ædificatis, in quibus alij, quàm putatis, habitabunt immò, quæ interrupta relinquetis? Nunquam

Psal. 126.

1.

aud.

audiuistis, qui dixerint: *Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum?* Nunquid gigantes illi, Pelion Ossæ imponere, & in cælum conscendere cogitantes, abjugassere equos, & ab opere incepto desistere debuerunt? Idem Iudæis contigit. Etenim, cum conuolâssent vndique ad primum templi sui lapidem, cum triumpho, jaciendum, lætitia in luctum, cessit, Deo receptui canente. Nam ecce, dū circumstant, dum inhiant, dum manum machinis applicant, existit repente adeo vehemens terræ motus, vt terribili concussionem, lapides ex ipsis fundamentis eijcerentur, ac, velut tormento acti, magnam stragem ederent, Iudæis, qui vel spectatū venerant, vel ædificium curaturi erant, vndique dissipatis. Quin & publicæ ædes templo viciniore, fluctuante identidem terra, solutæ atque cum impetu collapsæ, quotquot in eis erant, oppresserunt, domicilium in sepulchrum mutantem, antè tumulati, quàm mortui. Qui autem de vestibulis, aut officinis, aut areis effugere voluerunt, eorum quidam semineces jacuere,

cuere; alij cruribus, vel manibus, vel alijs membris, pro eo atque clades ferè quemque comprehendit, repentino casus impetu fuerunt mutilati. Tam graui plagà icti non sapuerunt. Vix enim desierat moueri terra, cùm & ipsi quiescere desierunt. Tanta vis est pertinaciæ. Igitur, qui reliquerant, vt, quod tantopere cupiebant, perficerent, simulque, ne Imperatorem architecturam etiam constitutione vrgentem offenderet, opus rursus aggressi, nihil pensi habuerunt, quid prius accidisset. Erant nimirum ex eorum censu, de quibus dici

Isa. 44. 18. poterat: *Nescierunt, neque intellexerunt: oblitum enim sunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt:* quorum non nemo ad eam confessionem adactus

Prou. 23. 35. est, vt diceret: *Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi.* O quam multi reperiuntur tales, qui non habent aures audiendi, quando vel de cathedra, vel de priuata amicitia monentur? immò nec sentiunt, dum vident alios, ob sceleratam vitam, è medio tolli; aut si vel ipsi graui morbo correpti à Deo moneantur. An tales misericordia digni? an non moneantur

rentur à terra absorberi? Certè Iudæi tunc, impedimento tam atroci diuinitus objecto, satis apertè intelligere potuerunt, Deum instituto ab eis operi, Superòsque indignari. Ast illi, quasi ad se nihil pertinerent diuinè admonitiones, denuò admota manu, conati sunt, quod perficere nequuerunt. Cùm enim iterum structuram experirentur, alius ignis ex ipsis fundamentis exiliens, alius de cælo decidens, plures, quàm antea, consumpsit. Sunt qui aiant, iam tum, cùm sacrum locum adirent, flammam illis obuiam, id, quod dictum est, peregrisse. Ignis porrò de cælo jactati tanta fuit vis, vt *mallei, scalpra, ferra, secures, ascie, & quacungq; ad edificationem commoda operarij comportauerant, celeriter in cinerem redigerentur.* Quod tale ac tantum incendium, die integro est grassatum. Itaque Iudæi, maximo correpti pauore, vel inuiti Christum verum Deum esse sunt professi. Miraculum extorsit veritatem; sed perfidiam non vicit. Tam dura enim est ceruix Iudaica, vt etiam, post hanc plagam, non saperent, sed in veteri errore suo contumacissimè perseuerarent. An non terræ hiatu digni erant isti? an non abyssum mererentur,

Kk

bantur,

bantur, qui moueri se non sinebant, vt crederent, Messiam aduenisse; cum vel ipsa terra, in testimonium eius, moueretur? Sed & aliud, quod ad hæc accessit, miraculum eos ad fidem non perduxit, quod prioribus & manifestius fuit, & admirandum magis: Nam proxima nocte, sua sponte, vestes eorum crucis signis, radiorum instar conformatis, sunt con-
signatæ. Ita omnes vestitum, tanquam stellis variëgatum, & lanifica arte atq; solertia distinctum habuere. Quo, illucescente die, viso, eluere & detergere crucis notas conati, nihil egere. Quemadmodum autem crucis nota ineluibiles fuere in vestibus Iudæorum; ita in manibus pedibusque, & latere Christi, vulnerum nunquam delebuntur cicatrices: Videbunt, in quæ transfixerunt; quando videbunt Filium hominis venientem in nubibus celi, cum virtute multa & maiestate.

Io. 19. 37.

Matth.
24. 30.

Ibid. v. 29.

Quem secundum quoque eius Aduentum mortalibus patefacient insoliti tremores. Cur enim terra non trepidaret, si virtutes calorum commouebuntur? Est itaque terræ motus, etiam quædam futuri iudicij imago, utilis ad timorem Domini ac Iudicis, in peccatoribus excitandum. Cuius iudicij terrorem, vt vel in vmbra delineemus, non pigebit.

motus, unde &, cur existant? 515

pigebit huc apponere recentem & luculentam tragœdiam, politiore calamo narratam, quam nec passim, in Germania nostra, scio haberi, & à multis audiui sapius desiderari, diuinæ iræ prouidentiaë que potens exemplum.

CAPVT XIX.

Ex Congeminato Nuntio, de nouo in uniuersa Calabria terra motu, à Iulio Cesare Recupito S. Iesu conscripto, & Neapoli edito 1638. quadam notatu digniora.

REm ita contigisse, ut subijciam, ex Auctoribus fide dignis compertum. Dies intercurrebat Martij mensis vicesimus septimus, qui in sabbatum inciderat, nobilem à palmis appellationem sortitum, ne palma sine cadibus forent, mox funestandum. Hora data iam erat prima supra vicesimam, sole ad occasum vergente, quasi luctuosum spectaculum auersaturo: cum terra repente mota Calabriam tum citeriorem, tum ulteriorem, celeberrimi Neapolitani regni Pronincias, quæ concussit, quæ diruit: Messana vrbe finitima è damno non exempta, Neapoli non è metu.

Kk 2 Terra